



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Semicenturia Variarum Resolutionum Moralium Pro Foro Interno, Atque Externo**

**Heislinger, Anton**

**Monachii, 1745**

Casus IV. De bona fide ad præscriptionem continuandam necessaria.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40155**

non sit sua; vel denique tertio aliquod iudicium de proprietate quidem rei latum, quod tamen est insufficiens ad inchoandam possessionem: concedo majorem: præscindendo ab hoc tertio membro. nego maj. & conseq.

15 Objicio 9. Si requiritur iudicium probabilius de proprietate rei, nemo poterit ex titulo emptionis aliquam rem præscribere: Probatur. Nunquam, vel saltem rarissimè est emptori probabilius, quòd emenda res sit venditoris: ergo &c. Resp. neg. seq. in probatione: nego antecedens: cum enim nemo sit præsumendus malus, nisi probetur: ergo nisi ex circumstantiis contrarium probetur, potest

& debet probabilius præsumi, quòd res sit venditoris.

Urgent: Emptor ordinariè cautionem duplæ, idoneos fidejussores, hypothecas in casum evictionis exigit, ergo non est illi probabilius, quòd sit res empta venditoris, aliàs jus ejusmodi cautiones non exigeret. Resp. Ideo similia exigere emptorem à venditore, ut hic in omnem eventum sit securus, nec ullo incommodorum, quæ ex injuria temporis, insidiantium technis, aut aliis modis parari possent, metu distineatur, potest etiam contingere, ut res vendita, quantum à proprietate rei fuerit ipsius venditoris, ex falsis probationibus nihilominus evincatur.



## Casus IV.

*De bona fide ad præscriptionem continuandam necessaria.*

**C**Ajus, postquam certum agrum bona & ad præscriptionem inchoandam requisita fide possidere inceperat,

de illius proprietate dubiū concipit.

Quæritur: Utrū superveniente dubio bona fide inchoata præscriptio interrumpatur?

D 3

Sy-

## Synopsis.

1. Superveniente dubio datur obligatio ad investigandum verum Dominum.
2. Non solum in principio, sed per totum decursum requiritur bona fides.
3. Sine resolutione de licentia possessionis continuandæ cessavit præscriptio.
4. Si Cajus Dominum, quando hic inveniri poterat, investigare omiserat, evasit possessor malæ fidei.
5. Ad continuandam semel inceptam præscriptionem sufficit bona fides negativè talis.
6. Etiam si rationes oppositæ sint probabiliores.
7. In retentione talis rei solum peccandi materialiter datur periculum.
8. Quod est tutius, seu remotius à peccato formali est in dubio eligendum.
9. Si nullus litigantium sit in possessione, res dubia inter litigantes dividitur.
10. In tali casu habetur dubium latius acceptum.
11. In quo etiam rem possessam retinere præscribens potest.
12. Fides positivè bona, non autem negativè bona, est iudicium, quòd res sit sua, latum.
13. Tali non est certum, quòd res non sit sua.
14. Quamdiu possessori bonæ fidei non est evidentibus rationibus probatum, quòd res non sit sua, tamdiu est bonæ fidei.
15. Res possessa in tali speculativo dubio etiam alienari poterit.
16. Illius causa est melior, qui habet meliores rationes considerata etiam possessione.
17. Durante investigatione veri Domini possessor re usu consumptibili uti non poterit, bene autem alia, animo tamen solvendi pretium illius.
18. Certus de debito, de huius autem solutione dubius, non est absolutus.

## Resolvitur Quæsitum.

**U**trum per hoc dubium interrumpatur præscriptio?

Dico 1. Cajum suborto hoc dubio esse obligatum ad investigan-

gandum verum Dominum. Ità Palao cum aliis *Tract. 1. disp. 3. p. 2. n. 7.* Ratio est, quòd talis investigatio ad inquirendam veritatem necessaria sit, ut unicuique, quod suum est, reddatur. Palao consentiunt DD. ab ipso adducti, citati initio.

2 Dico 2. Non solum in principio, sed per totum etiam decursum temporis ad præscribendum requisiti, necessariam esse bonam fidem. Ità communis, & patet *ex cap. finali. ibi: Oportet, ut in nullo tempore habeat aliene rei conscientiam.*

3 Dico 3. Si Cajus fuit dubius de proprietate, & tamen se in hoc dubio non resolvit de licentia rem ulterius possidendi, non potuit præscribere. Probat: absque hac resolutione, si continuavit rem ulterius possidere, tunc possessionem continuans operatus est in dubio, & consequenter se exposuit periculo peccandi & violandi alterius jus, & consequenter peccavit: atqui omnis præscriptio cum peccato facta reprobatur à Pontifice: ergo etiam talis cum hoc dubio facta.

4 Dico 4. Si stante hoc dubio

Cajus omisit investigare verum Dominum, quando hic poterat comparere, & ea de causa postea non compareat, constitutus probabilis fuit possessor malæ fidei. Ità teste Palao locò citatò n. 8. communis cum Molina *Tom. 1. de Just. tract. 2. disp. 36. concl. 1.* Thomas Sanchez *disp. 4. n. 8.* Villalobos, Salas. in tali casu ex aliqua omissione contra justitiam sequitur, quòd Dominus non compareat: ergo tenetur tanquam possessor malæ fidei rem & fructus pro qualitate rei restituere. Probat 2. Si non fuisset factus malæ fidei possessor, licet omittendo investigationem peccaverit contra justitiam, ratio foret, quia nunquam certus fuit se rem alienam possidere: hæc ratio nulla est: Probat minor: licet nunquam de hoc certus fuerit, ille tamen culpabilem negligentiam commisit in hunc finem, ut non fieret certus: ergo hæc ratio nulla est: Probat conf. hoc modo jam præscribit cum peccato gravi, & Pontifex omnem præscriptionem cum peccato gravi factam reprobatur: ergo.

Dico 5. Si Cajus suam præscri-

scriptionem incepit cum debita & positivè bona fide, tunc ad illius continuationem sufficiebat bona fides, negativè talis de proprietate rei possessæ. Ità Glosa, Panormit. Felinus, Immola, Fachinæus, Sanchez *de matrim. l. 2. disp. 41.* Suarez, Lessius, Layman: citati apud & cum Palao *disp. unica de Justitia part. 22 § 7. n. 2.* Probatur conclusio 1. *ex cap. Si Virgo 34. q. 1. ibi: Injure prædiorum tamdiu unusquisque possessor bonæ fidei dicitur, quamdiu possidere se ignorat alienum.*

Probatur 2. *in cap. finali. de præscript.* dicitur: *Oportet, ut, qui præscribit, in nullo tempore rei habeat conscientiam alienæ.* Sed post adhibitam diligentiam dubitans de proprietate rei non habet conscientiam rei alienæ: Probatur minor: habere dubium de proprietate rei, & habere conscientiam alienæ, sunt diversa: ergo &c. Probatur antec. habere conscientiam est cognoscere, vel judicare, rem esse alienam: sed dubitans non agnoscit, neque judicat, rem esse alienam. ergo &c.

Probatur 3. Qui rem aliquam semel caput bona fide possidere,

illius conditio eo ipso evasit melior in dubio de proprietate rei: ergo ob dubium superveniens de proprietate rei non debet intermittere possessionem. antec. constat *ex regula 65. Juris in 6. in dubio potior est conditio possidentis.*

Probatur 4. In dubio est potius favendum reo, quàm actori: sed possidens rem bona fide est reus: & rationes contra proprietatem rei sunt actor: ergo in dubio hoc favendum est possidenti.

Dico 6. Etiam si rationes suadentes, rem possessam non esse propriam præscribenti, sint probabiliores, quàm pugnantes pro possidente Cajo, nihilominus Cajum in possessione semel cæpta posse pergere. Ità Vasquez *disp. 66. cap. 7. n. 42.* Salas *sect. 23. n. 231.* Thomas Sanchez *in Decal. cap. 19. n. 9.* Palao *tract. 1. disp. 3 part. 2. n. 11.* Probatur: in foro externo possessor bonæ fidei sine plena & evidenti probatione contra ipsum faciente non debet removeri: *Lege 1. Codice de conditionibus insertis.* quod etiam probat Salas. *1. 2. tract. 8. disp. unica sect. 23. n. 226.* Molina *de primogen. Hispania. l. 3. c. 4. n. 32.*

n. 32. Subsumo, sed forum internum semper foro externo conformari debet, quando externum falsa præsumptione non nititur, juxta Baldum *authenticæ ingressi. n. 49. Cod. de sacrosanct. Ecclesiæ.* Sotus, Covarruvias, Vasquez, Salas, Garria, Thomas Sanchez, Suarez, Joa. Sanchez, citati apud & cum Palao n. 4. citati puncti 2. & disp. 3. in tract. 1. de conscientia. ergo talis possidens in hoc casu non debet à se abdicare hanc possessionem bona fide captam.

Probatur 2. Ex parte possidentis est duplex jus in re possessa: ergo retinendus est in sua possessione, cum unum duntaxat detur ex parte opposita. Probatur antec. unicum jus est dubium proprietatis, alterum est certum jus possessionis: ex parte opposita datur solum jus proprietatis: ergo. Probatur etiam prima consequentia: duplex jus debet superare unum: ergo si est duplex jus ex parte possidentis, & unum ex parte opposita, retinendus erit Cajus in sua possessione.

Probatur 3. Possessio præponderat omnibus rationibus

non convincentibus: Palao n. 11. citati puncto. 2. referens alios, ergo. cum hic non dentur rationes convincentes, Cajus in possessione retinendus erit.

Objicitur contra 5. conclus. 7. qui facta diligenti inquisitione adhuc manet dubius de proprietate rei, tenetur illam restituere: probatur antec. in dubio tutior est pars eligenda *arg. cap. Juvénis. de sponsali. cap. ad audiendam. de homicidio:* Sed tutius est restituere, quam retinere: ergo debet restituere. Minor constat: in restitutione nullum peccatum committi potest, bene autem in retentione. Resp. neg. antec. in probatione conc. maj. neg. min. in hujus probatione dist. antec. in restitutione nullum est peccatum, est autem in retentione, saltem materiale conc. formale peccatum: neg. antec. & consequentiam.

Contra. Si periculum materiale datur in retentione, & non datur in restitutione, tunc adhuc facienda est restitutio: ergo nulla responsio, Probatur antec. in dubio faciendum est tutius: sed tutius est, quod fieri potest sine periculo materialis peccati, E quam

quàm illud, quod cum periculo materialis peccati fit: ergo facienda est restitutio. Resp. neg. antec. in probatione dist. maj. faciendum, quod est tutius, hoc est remotius à peccato formali, concedo: quod est remotius à peccato materiali tantum, nego maj. & concessa minore, dist. conseq. ergo facienda est restitutio, si etiam non sit eligendum, quod est remotius à peccato materiali concedo: quod est remotius à peccato formali negatur conseq.

9 Objicitur 2. Saltem talis possessor erit obligatus ad rem in hoc dubio dividendam cum alio, ad quem rem spectare dubitat: ergo non potest illam retinere. Probatur antec. in foro externo, quando duorum jura in aliquam rem sunt dubia, tunc à judice res dividitur inter utrumque: ergo etiam in foro conscientiae erit dividenda. Probatur conseq. forum conscientiae non discordat à foro externo, nisi in casu, quo forum externum nitatur falso supposito & præsumptione: ergo si in foro externo divideretur, etiam in foro interno erit dividenda.

Resp. neg. antec. in probatione dist. antec. in tali casu res controversa dividitur, si nullus litigantium sit in possessione rei controversae, concedo: si jam aliquis sit in possessione, negatur. Sicut igitur in foro externo tota res adjudicatur possessori, ita etiam totam retinere poterit possessor actualis, si dubium habeatur de proprietate rei.

Objicitur 3. Si possessor rem in possessionem posset retinere, foret ratio, quia in dubio est melior conditio possidentis, & hinc habetur dubium: hæc ratio nulla est. Probatur minor: ponitur, quod oppositum sit probabilius possidenti: ergo non habetur dubium. Probatur conseq. dubium est suspensio judicii ob defectum rationis, vel rationes se mutuò elidentes, quia aliquis timet, ne judicando erret: sed in tali casu non habetur talis suspensio judicii: ergo non habetur dubium. Probatur minor: ob rationes probabiliores stantes contra possessorem, hic poterit judicare absolute, quod res non sit sua: ergo non habetur suspensio judicii. Resp. transeat maj. in probatione conc. antec. dist.

dist. conseq. ergo non habetur dubium strictè dictum: conced. non habetur dubium latè acceptum, negatur conseq.

11 Urgent: conditio possidentis est solùm melior in dubio strictè accepto, non autem in dubio latius accepto: ergo nulla responsio. Probatur antec. in dubio latius accepto potest possessor absolutè judicare, quòd res possessa non sit sua: sed in hoc casu non est melior conditio possidentis: ergo in dubio latius accepto non est melior conditio possidentis: Probatur minor: in hoc casu possidens ità argumentaretur Res hæc non est mea, ergo illam retinebo, vel probabilius mihi est, rem hanc non esse meam: ergo eandem retinebo: ergo in hoc casu non est melior conditio possidentis. Probatur conseq. talis illatio apparet omnibus esse illicita & præpostera. Resp. neg. antec. in probatione conc. maj. neg. min. in hujus probatione neg. antec. sed ità argumentatur, possessor bonæ fidei non debet rem à se possessam ultrò ac sponte dimittere, quamdiu ipsi non est certum, quòd ad ipsum

non spectet: sed in hoc casu mihi non est certum, quòd ad me non spectet: ergo non debeo illam ultrò à me dimittere.

Objicitur 4. Si ante finitam<sup>12</sup> præscriptionem tollatur bona fides, interrumpitur saltem præscriptio, atqui in tali casu non ampliùs datur bona fides: ergo saltem interrumpitur præscriptio. Probatur minor: bona fides in eo consistit, quòd rem, quam possidet, judicet esse suam: sed hoc non potest judicare, si probabilius ipsi sit, non esse suam: ergo non datur in hoc casu bona fides. Resp. neg. minorem: in hujus probatione dist. maior. bona fides positivè talis consistit in isto, concedo: bona fides negativè talis in hoc consistit, negatur maj. & concessa minore dist. conseq. ergo non datur bona fides, positivè talis concedo, negativè talis negatur.

Urgent: Neque datur fides<sup>13</sup> negativè bona: ergo nulla responsio: Probatur antec. fides negativè bona datur, quando possidens ignorat, rem possessam à se esse alienam: sed talis non potest dici esse ignorans: ergo non habet fidem negativè



bonam. Probatur minor: cui probabilius est, rem non esse suam, ille potest & prudentius debet judicare, rem non esse suam, sed qui potest, & prudentius debet judicare rem non esse suam, ille non ignorat, rem possessam esse alienam: Resp. neg. antec. in probatione concedo maj. neg. min. vel dist. non potest dici, quòd ignoret, hoc est, quòd neque probabile ipsi sit, rem hanc esse alienam, conc. min. non potest dici, quòd ignoret, hoc est, non potest dici, quòd ipsi non sit certum, hanc rem esse alienam, neg. min. & dist. conseq. ergo non habet fidem negativè dubiam, si certus sit, quòd res sit aliena: concedo: si eidem sit tantùm probabilius, negatur.

14 Urgent: Possessor bonæ fidei, tamdiu est talis, quamdiu ipsi non fuit probatum, quòd res sit alterius: sed hoc ipsi jam est probatum, si probabilius ipsi est, quòd sit alterius: ergo si probabilius est, quòd sit alterius, non ampliùs est possessor bonæ fidei. Resp. dist. major. quamdiu ipsi non est probatum rationibus convincentibus, quòd res non

sit sua, concedo: quamdiu solis rationibus probabilius non est probatum, neg. major. & dist. min. hoc ipsi est probatum rationibus convincentibus nego: rationibus probabilibus, conc. min. & neg. conseq. quòd possessio bona fide facta præponderet omnibus rationibus non convincentibus, docet Vasquez *disp. 66. c. 7. n. 42.* Salas *sect. 23. num. 231.* Thomas Sanchez *l. 1. in Decalog. c. 10. n. 9* quòd autem pro possidente præsumatur, dum non probatur, rem possessam esse alienam, habetur *in cap. Si Virgo: 34. q. 5.* Item *juxta legem Is, qui destinavit: ff. de rei vindicatione, & §. retinendæ. Instit. de interditiis.* dum de veritate non constat, semper possidenti favendum est, neque obligandus aliquid restituere.

Objicitur 5. Vel talis in duobus possidens rem possessam potest alienare, vel non potest? non primum, quia se exponeret periculo lædendi jus illius, ad quem probabilius videt rem pertinere: item etiam lædit jus emptoris, cum iste expositus sit periculo rem restituendi vero Domino, si hic postea comparuerit: ergo

ergo non potest alienare: sed neque secundum potest dici: si non potest alienare, tunc ipsi possessio est inutilis, & onerosa, si illam intactam deberet servare. Resp. con. M. neg. m & dico, possessorem hanc rem posse alienare: uti tradunt Vasquez *locô citatô n. 38.* Salas *n. 227.* Thomas Sanchez *de matrim. l. 2. disp. 41. q. 2. conc. 4. n. 22.* Palao *tract. 1. disp. 3. punct. 2. n. 12.* ad probationem respondeo, ex illa sequi tantum, quod emptor sit monendus de vitio rei: nam detecto hoc vitio forsitan alter non emeret, vel emeret pretio viliori: quod si tamen spes moralis non est, ut certò verus Dominus compareat, non dabitur obligatio monendi de dubio, quia tunc emptor morali periculo non exponitur. Sanchez uterque, Banner, Fachinæus, Palao.

16 Objicitur 6. Conditio possidentis est solummodo melior, quando par est causa possessoris & alterius; sed non est par causa utriusque, si probabilius sit rem esse alterius ergo &c. Probatur minor: illius causa est melior, quæ habet pro se probabiliores ratio-

nes: sed si oppositum possidenti videtur probabilius, tunc opposita causa est melior: ergo: Major constat in foro externo: minor ponitur adesse: ergo &c. Resp. conced. maj. neg. min. in probatione dist. maj.: illius causa est melior, quæ absolute & consideratis omnibus rationibus habet probabiliores rationes, concedo maj., quæ tantum habet probabiliores rationes, præscindendo à possessione, nego maj. & dist. min. sed opposita pars habet meliores rationes, si consideretur etiam ipsa possessio, ex qua parte hæc stet, & commoda, quæ possessioni attribuuntur, neg. maj. præscindendo ab hoc ultimo, concedo min. & neg. conseq. rationes, quæ pugnant pro rei proprietate, ad quam scilicet hæc spectet, sunt utique meliores pro non possidente: si autem consideretur, quod hæ rationes tantum loquantur de proprietate, & probabiles solum sint & non convincentes: possessio verò stet pro possessore; insuper consideretur, quod semper stetur pro possessore, quamdiu non adsint rationes convincentes contra possessorem,

forem, tunc melior, vel saltem æqualis est conditio possidentis.

17 Objic. 7. Juxta nos talis possessor dubitans diligens examen ad investigandum verum Dominum debet institutere, quia suborta dubitatione debet diligens examen facere ad investigandam veritatem, cum hæc investigatio sit necessaria, ut unicuique, quod suum est, reddatur, jam vel hac investigatione durante potest possessor uti tali re, vel non uti, neutrum potest dici, ergo. Resp. conc. maj. & ad minorem dico, si res talis sit usu consumptibilis, durante investigatione possessorem non posse illa uti, quia taliter frustra Dominus quæreretur: quæ tamen usu non consumitur, illa re poterit uti, modò habeat animum Domino solvendi pretium illius usûs, deductis alimentorum expensis. Thomas Sanchez l. 5. de matrim. disp. 41. q. 2. concl. 3. Salas, Palao n. 7. locò citatò.

18 Objic. 8. Ponamus aliquem certò contraxisse aliquod debitum, & solutionem factam esse dubiam, sequitur talem in hoc

dubio non esse obligatum ad solvendum. Probatur sequela, talis est in possessione suæ pecuniæ, quam ad solvendum debitum contractum deberet expendere: & simul an teneatur pecunias expendere, est dubium: ergo non teneretur illas expendere, & debitum dubium solvere. Resp. neg sequelam, in hujus probatione dist. antec. talis est in possessione suæ pecuniæ, ità ut tamen certus sit de debito contracto, concedo: ut de hoc non sit certus, negatur antec. & conseq. juxta legem *Tertia textores. ff. de Legatis*. Dubia exceptio non potest excusare excipientem: idem constat ex his, quæ Baldus notat *Legem non solum §. sed ut probari ff. de novi operis nunciatione*. Dein justitia petit æqualitatem, & debito certo non est æqualis dubia solutio, Palao cit. part. 2. num. 14. citans Vasquez disp. 66. cap. 6. sine numero 43. Thomas Sanchez l. 1. in Decalogum cap. 19. numero 12.

Ca-